


PRIMA

D. LUTHERI PARENTATIO,

Quâ ostenditur:

DONATIONEM CONSTANTINI MAGNI, CUM DE Facto, tùm de Jure esse nullam, fabulosam, atquè à Pontificiis confictam.

PUBLICE IN ILLUSTRI SALANA habita, die Concordiæ.

A

JOHANNE HIMMELIO Pomerano.

JENÆ,
Typis Joh. Vveidneri,
ANNO
1608.

Reverendo & Clarißimo Viro,


Dn. CHRISTOPHORO BUTELIO, S. S. Theologiæ D. atq; ad S. Nicolaum Sedini in Pomerania Pastori vigilantissimo, Fautori meo magno. S.

P*Hiletam Coum, Vir Reverende atq; Clarißime, Fautor suspiciende, perhibent macerrimo & levißimo corpore fuisse. Quoniam igitur quavis accesione facilè subverti poterat, ferunt eum plumbeas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosterneretur, si paulò durius eum efflassent. Cujus rei fidem etsi authori suo libenter relinquo, attamen Adversarii nostri Pontificii, Phileta Coo non sunt absimiles. Cùm enim causam sui luminis atq; columinis, Papæ videlicet Romani, adeò macilentam adeoq; levem esse animadverterent, ut adversus Zephyros manifestæ veritatis suis viribus subsistere nequiret, sed ita prorsus collaberetur, ut Dagonis idolum coram arca* DOMINI, *plumbeas sibi soleas ex ficta atq; ementita Constantini M. Donatione, applicandas & assuendas esse statuerunt. Verùm enimverò quàm irrito & vano planè conatu idipsum Esauita tentare ausi fuerint, satis opinor ostendet publica hæc D.* LUTHERI *parentatio, quam Tibi, Vir Reverende, Mecænas colende, dicare ac consecrare maximè volui, & meritò debui, ob singularem tuam benevolentiam atq; affectionem, quam erga me plus satis declarasti hîc* IENAE, *die post hanc à me habitam parentationem altero, cum Tubingam tenderes gradum in Theologia nostra summum petiturus: de quo quàm ex animo tibi gratuler, hoc ipso quali quali symbolo testatum reddere volui. Accipe igitur, Vir Clarißime, hanc qualemcunq; grati mei animi testificationem benevolè, amicitiamq; nostram nuperrimè contractam, illibatam & sartam tectam serva atq; conserva. Vale, studiisq; meis fave. Dabam* IENAE *ex Museo meo, anno 1608. die Gregorii.*

T. Excellent.

Observantissimus

Johan. Himmelius Pomeranus.



DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA JENENSI L. S.



VOD SEMPER EADEM INter homines agatur fabula tantùm mutatis personis, id verò, præter alia, collatio populi Israëlitici nostris cum Ecclesiis, & hac effœtâ cum mundi senectâ manifestò demonstrat. Israëlitæ per annos quadringentos in Ægypto durissimâ premebantur servitute, & non tantum labores sustinere gravissimos, sed etiam filiorum recens natorum, quos regii ministri aquis mergebant, interitum coram spectare non sine acerbissimi doloris sensu cogebantur. Tum verò cum hujus servitutis jugum, DEO auspice, & Duce Moyse, vix ægrè tandem excussissent: annos 40. per Arabiæ solitudines oberrabant, & ea subibant mala, quæ jam præstat silere, quàm paucis velle attingere: donec tandem hostes debellarent suos, & Palæstinâ jam occupata certas rerum & fortunarum suarum sedes sortirentur. Et tanti quidem beneficii memores erant Israëlitæ, & veræ pietati dabant operam, quoad in vivis essent Josua, & cæteri Seniores, qui servitutis Aegyptiæ molestias ipsi degustaverant, & coram oculis usurparant illa stupenda miracula, quibus non tantùm Nili accolas perculerat DEUS, sed insuper omnem propè terrarum orbem tremefecerat.

At verò cum & hi ipsi tandem fato concessissent: Juniores illos, qui dulci fortunâ jam erant ebrii, neque suam concoquere felicitatem poterant, servitutis AEgyptiæ, & omnium, quæ majores hauserant calamitatum, vesana quædam cepit oblivio, & pudendam ad impietatem, & idolomaniam præcipites egit: quâ ingratitudine sibi, & posteris suis funestissimas attraxêre pœnas, & sæpissimè jacturam restitutæ libertatis fecêre. Jam itaque confer mihi ad curriculum populi Israêlitici nostrâ simul & majorum nostrorum tempora, nec lac lacti, aut ovum ovo similius esse dices. Per annos quingentos Ecclesia sub Tyrannide Pontificia tàm miserabilem pertulit servitutem, & animarum, quas ille filius perditionis omni exutas solatio commentitiis operum meritis ad desperationem adigebat: & fortunarum, quas mille modis illa diripiebat Harpyiâ, & in obscœni ventris gurgitem demergebat: & ipsorum quoque corporum, quorum infinitas strages ille lanista sanguinarius committens inter se bellis intestinis principes orbis Christiani edebat: ut nullius unquam nationis etiam in ipsa, quæ bonam partem miseros & infelices alit homines Africa deterior & luctuosior fuerit conditio, quàm Ecclesiæ sub dominatu Pontificis Romani, qui servus servorum dici cum velit, nihilo tamen minus summos Imperatores & Reges, podagrosis & putidis emplastrorum fœtore pedibus conculcare non veretur.


Tandem misertus nostri DEUS, hanc à nobis servitutem ministerio Divi Lutheri (nec enim ut Vvaldensium, & Johannis Hussi jam mentio fiat, opus est) depellere cœpit, & veram in libertatem nos asse-

asserere, non tamen sine maximis difficultatibus; quas spiritus ille mendax & homicida renascenti veritati, partim lupos rapaces, partim astutas vulpeculas in Domini vineam immittens, objiciebat. Hanc DEI misericordiam, & præsentiam, gratâ mente agnovêre, qui Lutheri σύγχρονοι & discipuli fuerunt, quorum non paucos ad usque nostra vixisse tempora constat. Jam verò nostris hominibus, & quidem non plebeiis tantum, sed etiam illis, qui supercilio suo, Ecclesiæ & Reipublicæ salutem ut Athlante cœlum niti putant, paulatim obrepit turpissima oblivio omnium & malorum, quæ Patres nostri perpessi sunt, & beneficiorum, quæ in nos largâ manu contulit DEUS, adeò quidem, ut errores Pontificios leve quiddam & perfunctorium esse dictitent, & qui cum doctrinæ cœlestis veritate in gratiam redigi facilè possint: tum verò gravissimorum onerum, sub quibus nostri defecêre majores, ne verbulo quidem meminerint amplius, sed tantum illud passim jactitent: Pontificios planè jam alios esse viros, quàm fuerint olim, nec quicquam ab iis periculi metuendum: tantam ipsorum esse liberalitatem in pollicendo, humanitatem in convictu, gravitatem in moribus, & denique sanctimoniam in omni vita. Homines verò plus quàm μωρόσοφοι, qui non vident, pilos quidem mutare vulpeculam, sed animum non mutare: & spiritum illum tenebrarum in angelum lucis se transformare posse. Hæc igitur oblivio & ingratitudo quorsum evasura sit, nisi maturè evigilaverimus, omnes cordati jam dum animis præcipiunt suis, & non sine tristissimo metu commentantur. Aut excutiendus est ille veternus, aut brevi depositum

 D. Luthe-

D. Lutheri perdemus, & instar canum ad vomitus Pontificios, sed magno cum malo redibimus. Quæ cum ita sint: non tantum approbationem bonorum omnium, sed etiam laudem maximam illi merentur, qui toto pectore hanc in rem incumbunt: ut memoriam servitutis Pontificiæ, & liberationis divinæ subinde refricent, & omnem ad posteritatem, quantum est in ipsis, transmittant: licet passim inter nasutos quosdam & argutos Aristarchos malè audiant, & nescio cujus φιλονεικίας, incivilitatis, & rebellionis insimulentur. Hanc in societatem cum velut in equum Trojanum includi cuperet, *Ornatiss. & Doctissimus Juvenis Dn. JOHANNES HIMMELIUS POMERANUS, S. S. Theol. Studiosus*: constituit deinceps singulis annis, siquidem se vivum & salvum DEUS esse voluerit, Divi Lutheri parentalia redintegrare die 18. Feb. quo Vir ille maximus, & sanctissimus beatam efflavit animam, & ad politevma, quod habemus in cœlis, emigravit. Hanc verò telam suam exordietur *ad diem Iovis hora 9. promeridiana*, loco prooemii orationem primam, DE FICTA ET EMENTITA CONSTANTINI DONATIONE, quâ totius occidentis imperium cum urbe Roma sibi obvenisse Pontifices, non tamen sine hæsitatione & rubore, mentiuntur, recitaturus: quam ad panegyrin ut qui Lutheranæ sinceritatis Studiosi sunt, frequentes conveniant, & benevolas dicenti præbeant aures, hortamur. Veteres dixêre, nihil citius senescere, quàm beneficium & gratiam: quod tamen ne & in nos ipsos retorqueri possit tempore, unicè cavebimus. Est n. [illegible]titudo ad plus dandum invitatio, & non recedet pœna à domo ingrati: quod utinam auditione potius & lectione disceremus, quam ipsa experientia. P. P. die 9. Febr. A. O. R. 1608,

DEO SACRUM.



IEM HODIERNUM, SPEctabilis Dn. Decane, Viri Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Praeceptores ac fautores honorandi, colendi: Et vos nobilissimi, lectissimi atq; doctissimi Dn. Commilitones, diem, inquam, hodiernum Fatalem ne & tristem, num verò Natalem ac laetum nuncupem, animi pendeo. Fatalem quidem eum agnosco toties, quoties non sine interioris animi singultu recordor, qui hoc ipso die ante annos 62. Fatis concesserit, atq; ex hac vita mortali discesserit, Currus ac auriga noster, & corona Capitis nostri MEGALANDER LUTHERUS. Natalem verò eundem cognosco toties, quoties memoriâ mecum altius volvo atque revolvo, quomodo hoc ipso itidem die ante annos 28. in lucem editus fuerit Liber Ecclesiae nostrae Symbolicus, FORMULA videlicet Christianae CONCORDIAE. De Constante, Constantini Magni parente, commemorant Scriptores Ecclesiastici, & nominatim Nicephorus. l. 7. Hist. Eccl. c. 19. quod in lecto affixus, ac morti jam jam vicinus, astantes his affatus fuerit verbis: Nunc mihi mors *vitâ ipsâ dulcior est futura: nunc optatus adest obitus. Teneo siquidem maximum Epitaphium, sepulchraleq; monumentum, meum filium. Et quod in terris Imperatorem relinquo, qui DEO bene juvante, Christianorum lacrymas abstersurus, & patratam ab impiis tyrannis crudelitatem vindicaturus est: id ego summae*

mihi

mihi felicitatis loco esse duco. *Hæc de Constante Niceph. Idem jure optimo de nostro communi Parente* LVTHERO *verè* Constante *dicere possumus. Licet enim & is ipse hoc die ante aliquot annos vitâ functus sit, mors tamen* LVTHERO *nostro vitâ ipsâ dulcior fuit, eo potissimum nomine, quod post se reliquerit Epitaphium longè maximum, scripta videlicet luculenta, & nil nisi divinam sapientiam spirantia, & filium non tantum unicum, sed multos Constantinos sibi longè carissimos, suos scilicet* γνησίες καὶ ἀγαπητὲς *discipulos, doctrinæ Lutheranæ assertores ac vindices acerrimos, inter quos haud postremi sed inter præcipuos primi fuêre, Authores Libri Concordiæ, qui anno 34. post obitum Lutheri hoc ipso die quo D. Lutherus ultimum vale mundo cecinerat, satis masculè atq; animosè crudelitatem atq; impietatem Tyrannorum represserunt, & blasphemam ac impiam Adversariorum nostrorum doctrinam confutârunt.* Diem *itaq; hodiernum nec Natalem, nec Fatalem, sed* preciosum *potius nuncupabo, tum ob mortem Constantis nostri* LVTHERI, *quæ, ut piorum omnium, preciosa fuit in conspectu Domini: tum ob preciosum thesaurum, quem Authores Libri Concordiæ hoc ipso die toti Christiano orbi donârunt atq; exhibuerunt.* *At quàm preciosa dies hæcce in oculis Domini atq; omnium piorum, tam vilis atq; exosa in oculis Diaboli ac omnium hæreticorum cumprimis verò rasorum Pontificiorum: malè siquidem illos habet, quod is, qui hoc ipso die ex hac vita in Patriam Cælestem migravit, ausus fuerit masculè ac animosè sese opponere Numini atq; Columini Pontificio, ac* PAPAM ROMANVM *proprio & vero indigitare nomine, illumq;* ANTICHRISTVM *nominare: Ad quod effatum Esavitæ obstupescunt & attoniti redduntur non aliter, ac Diabolus obstupuit & obmutuit ad citata à* CHRISTO *ex Codice S. Testimonia.* *Verùm enimverò, quanto conatu*

majori

majori Antichristi nomen declinare atq; à se amoliri student Pontificii, tanto studio ferventiori, nobis, qui veri, genuini & constantes, constantis nostri LUTHERI discipuli esse & nominari volumus, eò incumbendum est, ut quod LUTHERUS noster verè semel asseruit, nos etiam semper intrepidè ac constanter defendamus, quò ita sanctum Sancti LUTHERI nostri depositum sartum tectum & apud nos retineatur, & ad seros posteros nostros reservetur ac transmittatur. Quapropter & mihi, qui me minimum inter Lutheri discipulos lubens profiteor, dies hodiernus quotannis posthac erit sacer, in quo ordine, modò DEUS mihi vitam viresq; concesserit, demonstraturus sum, notas & τεκμήρια *quæ de Antichristo SCRIPTURA S. dicit & prædicit, nemini alteri competere & convenire, quàm PONTIFICI ROMANO, ac proinde jure meritoq; LUTHERUM Papam Romanum nominasse Antichristum. Quoniam vero omnis Antichristiana vis, ac Tyrannis Romani Pontificis, tanquam basi & fulcro unicè nititur & sustentatur* Donatione Constantini Magni, *quâ Romanenses fingunt, Constantinum M. totius occidentis imperium cum urbe Roma, & Iurisdictionem tùm Ecclesiasticam tùm Politicam absolutam, atq; omnibus legib. solutam, Papæ Sylvestro donasse, ideoq; operæ precium me facturum existimavi, si initio prodromi ac felicis auspicij loco, hoc ipso die, fundamentum istud arenosum & lubricum, destruerem atq; everterem, reliquis, ad annos insequentes, ubi ubi me DEUS esse & vivere voluerit, reservatis.*

Ea propter hac vice ostendam, Donationem à Constantino Magno *nunquam fuisse factam, sed à Pontificiis & sedis Pontificiæ gnathonibus non sine majori fraude quàm laude confictam, ac in cerebro Pontificum Romanorum natam & prognatam.*

Hoc dum facio, oro vos omnes, quâ possum, quaq; par est animi summissione atq; benevolentia, ut mihi aures faciles atq; benignas prabere haud gravemini: Cumprimis verò Iuris Candidatos amicè rogatos cupio, ut, si quadam ex Iure Civili, re ipsa ita exigente ac postulante, mutuatus fuero, id me non ex πολυπραγμοσύνῃ *aut temeritate quadam, sed rei necessitate facere, omnino existiment. Ego vicißim in simili officiorum genere cuilibet vestrûm me promtum ac paratum offero & consecro.*

THeatrum, in quo Philistini Principes & populus magno numero congregati, Samsonem oculis orbatum spectârunt ludentem, duabus columnis nitebatur, quas
Iud. 16, 25. *cum Samson robore à Domino impetrato subvertisset, totum corruit adificium, & universam spectatorum multitudinem oppreßit. Sedes Antichristi Rom. Auditores, & Monarchicus ille, quem sibi nefariè arrogat, rapit, & usurpat Papa, primatus item & principatus in omnes Imperatores, Reges, Principes, Episcopos, & totum Ecclesiasticum, Politicum atq; Oeconomicum ordinem, duabus itidem columnis, furtim aliunde detractis, nititur,* Constantini videlicet donatione, *&* Petri successione.

Esavita enim, ita me DEVS amet, Philistinos Principes fraudulentiâ & nequitiâ ad unguem repræsentant: Nam ut illi Samsonem exoculatum ludibrio habent, de Columnis sua domus nihil prorsus soliciti; ita hi cælestem Samsonem, ipsum I. C. quantum in illis est, suarum sophisticationum nebulis & fumis exoculare, Christiq; fideles prorsus excæcare conantur, dum Papalis eminentia theatrum duabus modò commemoratis & per vim atq; fraudem subtractis & substratis columnis imponunt. Quod si enim quaras ex Pontificio, unde hanc Papa habeat potestatem, ut ipsi (Bonifa. 8. in Extra v. una

trav. una sancta) *Omnis creatura humana subsit, idq; de necessitate salutis. Quod omnia sint sub pedibus ipsius, juxta Psalm. 8. Oves, hoc est, anima fidelium, boves, h. est, Iudæi, pecora campi, hoc est, Ethnici, volucres Cœli, hoc est, Sanctitum Christo regnantes, & pisces maris, hoc est, animæ defun-* C. inter
ctorum. Quod Papa ea quæ facit, faciat ut DEUS, non ut incorp. de
homo. Quod possit contra Apostolos dispensare, & contra translat.
Canones Apostolorum, & contra Epistolas Pauli aliquid sta- prælat.
tuere. Quod supra jus, contra jus, & extra jus omnia 38. Dist.
possit. Quod nemini mortalium reverentiam debeat. Quod C. Elect. Bald.
omnes mortales, cujuscunq; sint dignitatis & præeminentiæ, Autor. Ce-
cùm primum in conspectum Papæ veniunt, distantibus spacijs remo. l. 3.
ter debeant ante illum genu flectere, & ejus pedes exosculari. Sect. 1.

Quod Cæsar ut primum videt Papam, detecto capite, Aut. Cer.
illum genu terrã tangens venerari, & iterum cum appropin- l. 3. s. 7. 5.
quat ad gradus sedis Papæ, genuflectere, & Papæ pedes osculari teneatur. Quod Cæsar tenere Stapham debeat, quoad l. 1. Cer.
Papa equum ascenderit, & accepto equi freno per aliquot pas- sit. 2.
sus ducere equum. Quod si Papa non equo sed sella veheretur, tum Imperator vel Rex si adsunt, ipsam sellam suis humeris portare teneantur. Quod Imperator vel Rex Roma- l. l. Cer.
norum in convivio aquam Papæ præbere ad lotionem manu- Sect. 3.
um, & primum ferculum ad mensam portare debeat. Hæc & C. de so-
hujus generis sexcenta alia si quæras quo jure, & ex cujus in- lenni con-
dulsu sibi Papa arroget, ibi statim confugiunt Pontificii partim vivio Pa-
ad Constantini Mag. Donationem, partim ad ementitam Pe- pæ.
tri Successionem: Hæc sunt duo illa egregia & firmã (*scilicet!*) *fundamenta & fulcra, quibus totus Pontificatus & Papo-Cæsaria innititur. At, duo hæc fulcra ita mehercle sunt comparata, ut simul subsistere haudquaquam possint, sed unum alterum funditus enervet atq; prorsus evertat. Etenim si Papa suam absolutam potestatem & jurisdictionem tàm Eccle-*

siasticam quàm Politicam habet à Petro, vel ex Petri successione, quomodo quæso illam demum habebit a Constantino, vel ex ejusdem donatione, utpote qui aliquot secula post B. Petrum vixit? Est enim vulgata Iuris regula quæ docet, idem ex pluribus caussis non posse esse nostrum, præsertim in caussis diverso tempore concurrentibus. Et ratio: quia si dominium acquisitum fuit ex una causa, ulterius ex alia acquiri non potest: Et quod meum est, uberius meum effici non potest. Hinc est lex in Codic. quæ ita habet: Rei suæ acquisitio nulla est. Et Imperat art. l. 4. Instit. tit. 6. §. 14: Nec res quæ jam actoris est, magis ejus fieri potest. Quapropter quoniam Pontificii ad Donationem Constantini confugiunt, manifeste sese tanquam sorices produnt, quod potestatem hanc absolutam non à Petro multo minus à Christo habeant, & quod tantum dicis gratiâ prætendant & prætexant successionem Petri, & sic fulcrum primum labascit, ac funditus corruit. SED videamus alterum etiam fulcrum ac stabilimentum sedis Pontificiæ, Donationem videlicet Constantini Magni *(qui Imperator Roma. electus anno Christi 310.) quem donasse Sylvestro Papæ urbem Romam & occidentale imperium scribunt. Instrumenti Donationis hujus summa hæc est: Imperator Constanti. Christianorum hostis, lepræ morbo affectus, in somno à Petro & Paulo Apostolis admonitus, ut se Sylvestro Papæ Romano purgandum traderet, confestim ab illo baptizatus atq; sanatus, tanti beneficii remunerandi causâ donavit eidem Sylvestro, ejusq; successoribus urbem Romam, totumq; Occidentis imperium, simul Coronam suam auream, & sceptrum, & reliqua imperatoria insignia, ut majorem dignitatem Papa Roma. haberet, quam ipse Imperator. Simul imprecatur suis successoribus usq; ad finem mundi, concremationem in inferno inferiore, cum Diabolo & impiis, nisi eam donationem ratam habeant, & observent. Datum Romæ 3. Kal. April.*

Instru-

Instrumentum hoc in Bibliotheca Papæ, Græcâ linguâ scriptum esse affirmant Barthol. Picernus, & Augusti. Steuchus, qui etiam Latinè ab se conversum ediderunt. Donationem verè hanc esse planè nullam PRIMO *de Facto:* DEINDE *de* IURE *ita ostendo.*

De FACTO *nulla est,* PRIMO *ob* Testimonii nullitatem. *Etenim nullum, nullum inquam, possunt Pontificii proferre testem idoneum, qui hujus Donationis vel verbulo mentionem fecerit. Manus igitur nostræ sunt oculatæ & credunt quod vident: Nec Picerno vel Steucho hæc ita nudè asseverantibus fidem ullam habemus, siquidē hoc non infrequens sed solenne est sedis Pontificiæ Gnathonibus ac Parasitastris, ut in gratiam Pontificis Rom. idoli sui, mentiri & fallere nihil quicquam erubescant, adeò ut non immeritò talis Pontificius Gnatho illud Plautinum symboli loco usurpare possit: Si mendacium dixero, solens meo more fecero. Eusebius certè scripsit ex professo libros 5. integros de vita Constantini Magni, & tamen hujus Donationis ne unico quidem verbulo meminit: quomodo quæso hujus tàm magnificæ & splendidæ Donationis, si vera esset, mentionem non injiceret, sed tàm honorificum munus silentio involveret? Hinc Hieron. Pau. Catthalanus Canonicus Barcinoensis, I. V. D. ac Cubicularius Alexandri 6. Pontificis Max. in libello quem vocant practicam Cancellariæ Apostolicæ, sic scribit: Quod* DONATIO CONSTANTINI *etiam de facto non fuerit, lege Laurent. Vallam, & Papam Pium in dialogo. Nec de tali donatione quicquam legi apud prolatum historicum, præsertim eos qui scripserunt illa ætate, vel illi proxima. Nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum, meminit, quod tamen nullo modo videbatur omittendum: nec Hieron, Augusti. Ambros. Basil. Ioan. Chrysost. nec Ammianus, nec Histor. Tripart. nec ipse Damasius*

Papa in suis Chronicis, nec Beda, nec Orosius meminerunt.

At proferunt Pontificii testimonium ex Iure Canonico petitum, & quidem C. Constantinus. Quod habetur Dist. 96. quodq; ita sonat: Constantinus Imperator Coronam, & omnem regiam dignitatem in urbe Romana, & in Italia, & in partibus occidentalibus Apostolico concessit. Nam in gestis B. Sylvestri (quæ beatus Papa Gelasius in Concilio LXX. Episcoporum à Catholicis legi commemorat, & pro antiquo usu multas hoc imitari dicit Ecclesias) ita legitur. Hoc est Capitulum illud, in quo tripudiant, quod in ore semper habent atq; ingeminant Pontificii, non aliter ac si gemmam in stercore invenissent. SED non jam hîc multis agam de autoritate Iuris Canonici, neq; de palpabilibus & manifestis ejusdem contradictionibus, neq; de nonnullis apertè blasphemis Decretis, ne videar θέσιν φυλάττειν, forsan alibi hac de re uberius dabitur occasio differendi; neq; agam hîc an testimonium ex Iure Cano. petitum huc adduci queat, cum agatur de potestate Pontificum Roma. Iuris Cano. autorum, cum nemo possit esse testis in propria causa. Hoc saltem noto, Romanenses videlicet manifestum crimen falsi commisisse, capitulum hoc in jus Cano. infarciendo atq; supponendo. Canonem enim hunc esse suppostititium & planè fictitium testantur exemplaria vetustiora, in quibus Canon hicce omnino non habetur, id quod vel inde facilè collectu est, quoniam PALEA inscribitur, ut ἐπιγραφὴ in recentioribus exemplaribus manifestè ostendit.

Deinde multi haud ignobiles Pontificii apertè fatentur hunc Canonem non esse genuinum sed supposititiũ: Complures enim Papalis dominatus patroni testantur totum illud caput à Gratiani Decreti Codicibus abesse. Hinc Antoni. Florentinus Episcopus part. 1. histor. tit. 8. c. 2. §. 8. ait. Tertium dubium est de donatione facta Ecclesia à Constantino, de qua habetur in Decretis, distinct. 96. Constantinus. Sed caput

illud

illud non habetur in antiquis Decretis. Quid ergò & quantum Constantinus donavit, non est benè certum. Nicol. Cusa. l. 3. c. 2. de concordantia Catholica: Absq; dubio, inquit, si non fuisset illud dictamen apocryphum, Gratianus in veteribus Codicibus, & Canonum Collectionibus invenisset, & quia non invenit, non posuit. Ita & quamplurimi alii Pontificii Donationem hanc falsitatis arguunt, ut Laurent. Valla in peculiari libello de falsa Constanti. donatione. Bodi. l. 1. de Repub. cap. 9. Albert. Krantzius in Saxo. l 2. c. 1. Alciatus lib. 7. parerg. c. 19. Ferd. Vasquius Hispan. l. 1. illust. quaest. cap. 5. VLRICHVS HVTTENVS in praefat. libelli Laurent. Vallae, contra effictam Constantii donat. ad Leo. X. ait: De Constantino mentiti sunt illi pseudopontificii, qui occidentis imperium cum urbe Roma gentium domina, concessum ab hoc sibi contenderunt. Quorum in hoc potissimum audaciam miror, quod veriti non sunt id affirmare, quod crediturum neminem scirent: Sed Germanis persuasuros se putabant, utpote quos cerebrum non habere fama est, atq; igitur ingenio usi non sunt. Et memorabile est quod AEneas Sylvius (is qui postea Papatum adeptus, dictus est Papa pius) in dialogo quodam illos stolidos Legistas appellat, qui tantopere sudârint in disputando, an ea donatio valeat, quae facta est nunquam. Ac Bodinus meminit, quod ipsemet ex actis Vaticanis hauserit & expresserit, Iohannem scilicet cognomento digitorum, Constantini Magni largitionem aureis literis scripsisse, in cujus extremo haec verba subiiciuntur: Quam fabulam longi temporis mendacium finxit.

Deniq; C. hoc Constantinus esse fabulosum & figmentum Pontificium, probari potest ex Iure Civili quod magnam partem ipsemet verus Imperator Constantinus conscripsit. Regula enim juris 188. ita habet: ubi pugnantia inter se in testamento jubentur, neutrum ratum est. Et habetur lex in Codice

quâ

l. Scriptu- *quâ Imperator sancit: Scripturas diversas, & fidem sibi in-*
ra. 14. C. *vicem derogantes, nihil habere firmitatis. Item: Allegan-*
de fide In- *tem contraria non audiri. At in causa hujus donationis ipse*
strum. *Papa contraria allegat. Nam dicto C. Constanti. dicitur do-*
l. 1. C. De *natio facta Sylvestro. Verum C. Futuram. 12. q. 1. Melchi-*
fur. *ades Papa, qui ante Sylvestrum papalem sedem obtinuit, et-*
jam ejus donationis, à Constanti. factæ mentionem facit, di-
citq́ dictum Constanti. Ecclesiæ donaria immensa contulisse,
sedemq́ Imperialem reliquisse, & B. Petro, successoribusq́
profuturam concessisse. Volateranus a. l. 3. ex Bibliotheca
Vaticana instrumentum profert, unde apparet, non à Constan-
tino, sed à Ludovico Imperat. non Sylvestro, sed Paschali
Papæ illam donationem factam esse. Ex qua instrumento-
rum repugnantia & contrarietate vel cæcus palpare posset,
neutrum ratum aut firmum esse, ideoq́ tanquam vana figmen-
ta non debere audiri.

DEINDE donationem hanc ipso facto nullam esse *patet ex* Instrumenti futilitate: *Siquidem totum illud in-strumentum non nisi metras ἀν[illegible]λογίας, aniles fabulas, aperta mendacia, atq́ absurda absurdissima, continet, præcipua hic perstingam.*

I. *Fingit Instrumentum, Constantinum M. fuisse hostem Christianorum: at certè ipsum non hostem sed Christianorum defensorem ac propugnatorem fuisse acerrimum, testatur universa historia Ecclesiastica, & Scriptores Ecclesiastici ad unum omnes mirificè laudant Constanti. M. eo potissimum nomine, quod aliis Tyrannis atq́ Ecclesiæ persecutoribus sese masculè ac animosè opposuerit, & quod la-*
Hist. Trip. *chrymas Christianorum (quemadmodum etiam parens morti*
l. 1. cap. 9. *vicinus ipsi prædixerat, sicuti supra ex Niceph. audivimus)*
absterserit, & patratam ab impiis Tyrannis crudelitatem vindicarit, unde dimicaturus contra Tyrannum Maxentium in

cælo

cælo supra solem, signum crucis, è luce constructum, ac Scripturam additam vidit, hanc nimirum: IN HOC VINCE. teste Euseb. l. 1. de vita Constanti. Niceph. l. 7. c. 29. & Euseb. l. 1. de vita Consti. c. 4. ait: Inter Imperatores solus Constanti, apud omnes omniũ sermone ac fama maxima cum amplitudine celebratus fuit: qui Deum, quem ipse coluit, ad hasce gentes usq; magnifica & verè regia voce, liberè & ingenuè omninò prædicavit.

II. Comminiscitur Instrumentum fictitium, Constanti. M. fuisse leprâ infectum: At neq; hujus rei ullus Historicorum meminit. Zosimus, qui religionis odio Constantinum quibus potest contumeliis exagitat, silentio certè morbum hunc fœdum atq; abominabilem nunquam involvisset. Adde quod Plinius l. 21. c. 1. testetur, genus hoc morbi suo tempore in Italia jampridem restinctum fuisse. Si igitur Pliny tempore jam erat exstinctus in Italia hic morbus, non est verisimile, Constantinum eo laborasse, qui post longum tempus imperavit. Certè hoc argumento ipse Platina scriptor Pontificius probat fabulosum esse, quod de Constanti. traditur, incidisse eum in lepram. De hac enim re (Platinæ verba sunt) à nullo scriptorum mentio fit, non dico ab his qui Ethnici sunt habiti, sed ne à nostris quidem. Non reticuisset hoc Orosius, non Eutropius, non illi, qui Constantini res gestas quam diligentissimè scripsêre. Hæc Platina.

III. Illud quod de apparitione Petri & Pauli, Constantino facta, Instrumentum meminit, non tantum esse fabulosum, sed etiam expresso divino verbo contrarium (quod docet Antichristum venturum, secundum operationem Satanæ, cum signis & prodigiis mendacibus) non esset operosum ostendere, nisi tædiosum foret audire. Nos visionem hanc relegamus ad illas, quas numero plures, sed pondere non graviores, habet Liber Conformitatum, de quibus visionibus & phantasticis speculationibus quid sit sentiendũ, alibi diximus.

IV. Baptizatum fuisse Constant. M. non initio sui regni, ut Instrumentum fabulatur, sed paulò ante obitum, & quidem in decrepita senectute tradunt omnes Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, cum primis Euseb. l. 1. de vita Constanti. Causam vero quare Constanti. Baptismum distulerit usq; ad annum 65. in quo & mortuus, reddit hanc Theodoretus in Histor. Tripart. l. 3. c. 12. sive ult. his verbis: Constantinus cum Nicomediæ degeret, languore gravatus, nec ignorans vitæ hujus diem esse incertum, gratiam S. Baptismatis est adeptus. Distulerat enim usq; ad illud tempus, in Iordane (quippe in quo Christus baptizatus erat) fluvio hoc promereri desiderans. Hoc Constantini propositum licet superstitione non caruerit, (qualibet enim aqua ad Baptismum idonea est) inde tamen luce meridiana clarius apparet, Constantinum M. non initio sui regni fuisse baptizatum, sed ultimo temporis articulo, & non Romæ sed Nicomediæ, nec à Sylvestro Papa, sed ab Episcopo Nicodemensi Eusebio, nequissimo Arriano. Interim tamen Imperator Constanti. Arrianismum nunquam amplexus fuit, aut à Synodo Nicæna animo recessit, sed à pessimo veteratore Eusebio persuasus fuerat, Arium idem sensisse quod Concilium Nicanum, qua de re alibi fusius agitur. Accedit, quod planè inconsultus fuisset Papa Sylvester ejusdemq; Diaconi, si Constantino Christianorum ac præsertim hosti Ecclesiæ Romæ. tam repentè post suum illis narratum somnium, baptismum conferre voluissent, ac non prius ei Christianæ religionis mysteria, Catechumenorum more instituto, tradere. Nec movemur quicquam testimonio Niceph. affirmantis l. 7. c. 35. Constant. Romæ baptizatum fuisse, hac n. in parte Nicephoro fidem habere nequaquam possumus, præsertim cum alii Scriptores probati, expressè contrarium asserant, & ratio ipsa reclamet; sed cui non est notum Nicephorum multa alia ejusmodi fabulosa suis immiscere scriptis?

V. Recla-

V. Reclamat huic Instrumento ipse Constantinus. Summo enim consensu tradunt Euseb. l. 4. de vita Constant. Histor. Trip. l. 3. c. ult. Constantinum perexiguo ante obitum tempore, hanc Imperii sui divisionem inter filios suos fecisse, ut natu maximo Occidentem, *secundo* Orientem, *tertio interjectam regionem assignarit: Unde non tantum Italiæ, verum etiam urbis Romæ imperium, penes Constantini successores permansit: secundum Instrumentum autem Constantinus primus se ipsũ execratione fini Instrumenti addita, induisset: id quod absonum atq; absurdum.*

VI. Cum Ecclesia Arii hæresi concuteretur, indixit Conventum Episcoporum Niceæ Bithyniæ, ipse Constantinus M. testibus omnibus Historicis. At si Papa tum fuisset Monarcha, non Imperator sed Papa conventum indixisset. In eo conventu statutum est, ne, quem aliquis Episcopus de Ecclesia expulerit, sive Clericum sive Laicum, suscipiat alius. Cano. 5. Sed huic ipsi regulæ in primitiva Ecclesia etiam obligatus fuit Papa. Nam cum Marcion Romam confugeret, ut per Romanos à Banno paterno absolveretur, responsum tulit, hoc sine consensu patris sui fieri non posse, teste Epiphа. in hære. Marc.

At si Papa potuisset omnes homines judicare, & ab aliis ligatos solvere, potuisset etiam Marcionem absq; consensu paterno absolvere..

VII. Si Constantinus occidentale imperium concessit & reliquit Papæ, necesse est ab eo tempore Senatum Romæ. & alios Principes Papæ obtemperasse, & huic juramento fuisse obligatos. At posterius hoc esse falsum, pluribus probat Sibrandus Lubertus l. 6. de Pontifi. Roma. cap. 1. & 2.

Et supra citatus Paul. Alex. VI. cubicularius ait ibid. Constat. per plures quam 300. annos post Constantinum, Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italiæ per duces, præsidos, & exarchos, & urbis Roman. usq; ad tempora Innocentii. III. ut patet apertè in Chronicis & Historiis, & de Iustiniano patet. l. 1. & 2. de offic. præf. & in Proœmio Instit. Et in Epist. inter Claras. ibi, nostrum firmat imperium. Et in vita Phocæ Imperatoris, legitur impetrasse Pantheon Bonifacium Papam ab eo. Quin ipsi Papæ, quibus frequenter ob potentiam & superioritatem cum aliis Episcopis gravissima certamina fuerunt, Imperatorii hujus privilegii, in suo jure persequendo, obliti non fuissent, sed ad illud provocassent, tanquam solidum causæ suæ fundamentum, si illis notum, & non à posterioribus demum confictum fuisset.

VIII. Lectu jucundum est, quod recitat Camerar. in subcis. cap. 61. Venetos ante aliquot annos à Roma. Pontifice, postquam Anconam in suam potestatem redegissent, interpellatos fuisse, quo jure vectigalia & alias jurisdictiones in mari Adriatico sibi solis vendicarent, cum tn. nulla privilegia hac de re monstrare, nec jus suum docere legitimè possent? Ad hanc rem Venetos respondisse, & quidem argutè, se mirari, quod ista privilegia peterent demonstrari, quæ Pontifices ipsi penes se, & quidem archetypa, tanquam rem sacram diligentissimè in suis archivis custodirent: eaq; facilè reperiri posse, si Donationis Constantini *membranæ pars exterior, in qua majusculis literis conscripta essent, accuratius inspicerentur.*

IX. Deniq; ecquis tam imperitus Latinæ linguæ (inquit Fulmen Brut. p. 118.) qui non videat, genus dicendi, quo illius instrumenti scriptor est usus, longissimè ab illius seculi consuetudine abhorrere? Quam reprehensionis partem Platina in illo Sylvestro non prætermisit, & fusius persecutus est vir acerrimo in hoc genere judicio Laurent. Valla, cui unum

hoc

hoc subjungemus: Si quis genus dicendi consideret, quo Constantini leges in Theodosiano & Iustinianico Codice scriptæ sunt, eum nullo negotio animadversurum, instrumentum hoc ex illa prodiisse officina, unde conformitates Franciscana & Dominicana. Neq; verò silentio prætereunda est Papæ cujusdam recentioris (Leonis, ut videtur decimi) calliditas planè veteratoria, qui, ut vitium istud Orationis ac Styli, quasi fuco aliquo tegeret, falsitatem falsitate cumulavit: Græculum enim quendam tribus obulis conductum, Bartholomæi Picerni nomine subornavit, post vero August Steuchum Bibliothecarium suum, qui dicerent, se in Bibliotheca Papæ, nescio quâ, instrumentum istud Græca Lingua conscriptum reperisse, tum aliquanto commodius in Latinum sermonem convertisse. Quod commentum Gregorius XIII. nunc nuper in recenti editione Decreti Gratiani confirmavit & fuco palliavit Atqui leges Constantini omnes in supra dictis Codicibus Theodosiano & Iustinianico, Latina Lingua conscripta extant: quamvis & Constantinopoli, & Græca urbe, & apud Græcos ederentur. Præterea Euseb. l 3. de vita Constant. memoriæ prodidit, eum in Synodo Nicæna, Latinè verba fecisse. Et lib. 2. testatur, se illius Epistolas & Decreta Latinè scripta in Græcum sermonem convertisse: Vnde suspicari aliquis potest, aut Græcè illum nunquam instrumentum illud scripsisse, aut si Græcè & Latinè scripsit, certè non isto Boœtico & stolido dicendi genere usum esse. Hæc autor Brut Ful. Cum quo consentit D. noster Lutherus: *Is enim de falsa hac & ementita Constanti. Donatione tractatum quendam emisit in lucem Vitebergæ anno 1537. quem ita indigitat ac inscribit:* Einer aus den hohen Artickeln des Allerheiligsten Geistlichen Glaubens/ genant/ *Donatio Constantini: in cujus Præfatione hac verba ponit Lutherus.* Wenn Ich nicht so geneigt were/ vnd lust hette zu thun/ Was dem Teuffel

Tom. 6. Germ. Ienens. pag. 486. b.

Teuffel vnd seinem Bapstum verdrieslich ist / zuvor aus / Wo Gottes Ehre daraus kommen kan / so hette ich dis Stück aus dem heiligen geistlichen Recht nit fürgenommen zu verdeutschen / so gar schendlich verzweiffelt böse Latein ists / Aber es hat so sollen sein / das die schendliche verzweiffelte böse Lügen / mit keinem andern / denn mit solchem schendlichen / verzweiffelten / bösen Latein beschrieben würde. Vnd were auch wol billich / das mans mit schendlichen / verzweiffelten bösen Deutsch verdolmetzschet / Wie ich auch hette vielleicht können thun / aber dieweil vns Deutschen nütz ist zu wissen etc. *Possem, Auditores, rationibus pluribus non minus firmioribus nullo negocio ostendere Donationem Constantini de facto ipso plane nullam esse, nisi temporis mihi habenda esset ratio; proinde ad posterius Orationis meæ membrum me converto, quo brevibus & indice tantum digito probatum dabo atq; ostendam, Donationem Constantini etiam* de jure esse nullam.

Posito igitur ἐκ περιουσίας, sed in æternum non concesso, Constantinum M. donasse omnimodam atq; absolutam Sylvestro Papæ Iurisdictionem, quæritur jam, num hoc jus dandi ac donandi Constantinus unquam habuerit? Equidem non reor.

Etenim quoad Iurisdictionem Ecclesiasticam extra omnem dubitationis aleam positum est, Constantium M. hanc nunquam donare potuisse, PRIMO ob ICtorum regulam longè verissimam: Nemo potest plus juris in alium transferre quam ipsemet habet. Et ipsum Ius Pontificium ait: Nec aliquis dare potest quod non habet. C. Quomodo de Consecrat. dist. 4. Quod si igitur donare principatum universalem Constantinus potuit, certe pleno jure dominum illius principatus

patus eam fuisse oportet: Atqui hoc absurdissimum esse, etiam Canonistæ omnes fatentur, ut secularis Princeps Spiritualem principatum, id est, universalem Episcopatum in omnes Ecclesias possideat, cum ne unius quidem Ecclesiæ quantumvis exiguæ sacerdotium aut Episcopatum habeat. Quare si nullum omnino Constanti. Episcopatum habuit, quomodo universalem orbis terrarum Episcopatum donare Sylvestro potuit? Et hoc velim etiam probè observari à nonnullis Cacopoliticis, qui hodie etiam in reformatis Ecclesiis Iurisdictionem Ecclesiasticam sibi eo nomine arrogant & asignant, quia olim Principes, adhuc sub medio papatu degentes, nonnullis civitatibus potestatem indulsère in quoslibet & quosvis, *unde aliqui Politici malè argutantur; Ergo etiam in Clericos sive Ecclesiasticos. Scilicet, Cœlum tegit omnia; E. se quoq; tegit! Mirum quod illi mali Logici non ita argumententur: Princeps concesit civitati potestatē in quoslibet & quosvis, E etiam in semetipsum. Num potuit donare Princeps illud quod nunquam habuit? Non arbitror. Sed hæc obitèr.*

DEINDE si maximè Constanti. M. Iurisdictionem & potestatem aliquam Ecclesiasticam habuisset, tamen non habuit eam quam Pontificii jactant ac sibi asignant, videlicet absolutam & omnibus legibus planè solùtam, statuendi & decernendi quidvis pro lubitu, etiam contra scripta Prophetica & Apostolica; Æquè enim fuit Imperator Constanti. M. alligatus & adstrictus ad Legem & ad Testimonium, ac Dux & Imperator populi Iudaici Iosua Ios. 1, 7. Id quod ipsemet Imperator Constantinus M. apertè confessus est: Theodoretus enim lib. primo capite septimo testatur, quod Constanti. in Synodo Nicæ. hæc verba sempi-

ternà

terrâ memoriâ digna coram omnibus Episcopis arrepto Codices S. protulerit: Evangelici & Apostolici libri, & antiquorum Prophetarum Oracula planè instruunt nos, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili posita discordia, ex dictis divinitus *inspiratis sumamus quæstionum explicationes. Sed hæc adeò vera sunt, ut vi veritatis adactus Cardinalis* Robert. Bellarminus *contra suos gregarios apertè fateri cogatur, Iurisdictionem Ecclesiasticam Roma. Pontificem Sylvestrum non habere neq; unquam habuisse à Constanti. M. Sic enim ille l. 2. de pontifi. Roma. c. 17. Constantinus Magnus, inquit, donavit quidem palatium suum Lateranense, & multa alia temporalia summo Pontifici,* ditionem tamen spiritualem neq; dedit ullam, neq; dare potuit. *Nam in eodem Canone fatetur Constantinus. B. Petrum Vicarium Christi fuisse, & idcirco successores ejus, principes, & capita totius Ecclesiæ haberi debere. Itaq; solum declaravit jus antiquum, & ornavit Pontificem additis multis temporalibus donis. Adde, quod Lutherani, & Calvinistæ istum Canonem supposititium esse contendunt (& verè contendunt Bellarmine) Proinde hoc tempore nulla est nobis de edicto Constantini cum hæreticis Contentio,* quantum ad spiritualem *jurisdictionem: fatentur enim illi (& tu ipsemet Roberte fateri cogeris) non cæpisse à Constantino. Hactenus Bellar. Vnde vel ex propria confessione apparet Romanos pontifices Jurisdictionem Ecclesiasticam absolutam, à Constanti. M. nequaquam habere.*

Bellar. l. 2. de Pontif. Rom. c. 17.

POLITICAM Iurisdictionem quod attinet, & hanc nullo modo potuisse, si maximè voluisset, donare Constantinum Papæ, est apud omnes doctos notius quam ut operosâ indigeat probatione: Merum quidem non est ex legibus Civilibus ostendere, quod Donatio hæc è diametro pugnet cum ipsismet Constantini constitutionibus, nec est hujus loci.

Proinde

proinde hæc ad JCTorum subsellia relego, & Iuris Candidatis uberius deducenda relinquo. Dubio autem omni caret hoc, neminem aliquid donare posse in præjudicium alterius, *idquod ipsimet etiam Canonistæ fatentur. Nam super c. mora 25. de reg. Iur. in 6. commentantur ita: Factum cuiq; suum, non alteri nocere debet. At verò ego assumo: Si Imperator Constanti. Iurisdictionem Politicam & majoritatem super Politicos Sylvestro donâsset, certè hoc maximè nocuisset omnibus suis successoribus; nonne enim injurius fuisset in filios proprios, quos certè maximâ regni parte spoliâsset, & non tantùm filios proprios, sed successores ad unum omnes, de regni solio deturbâsset? quod quo jure facere potuisset, non video. Addo, haudquaquam esse verisimile, Imperatorem sibi ipsi voluisse præcidere caput, h. e. præcipuũ imperii membrum amputare, quæ est species fatuitatis, imò impossibile est. facere aliquem sibi parem vel superiorem, inquit Everhard. JCTus in Topicis, loco à verisimili. Manet proinde & in æternum manebit ratum firmum & fixum, Constantinum M. nullo pacto Iurisdictionem Ecclesiasticam & Politicam, vel facto ipso donasse, vel jure donare unquam potuisse, sed esse purum putum figmentum ac veritatem Pontificiam, quicquid Romanenses de Donat. Constant. blaterant & garriunt: ac proinde pessimo titulo Iurisdictionem omnimodam ac absolutam Pontifices sibi arrogare & usurpare, non ex indulsu pii Imperatoris Constanti. M. sed impiissimi, & sceleratissimi Phocæ parricidæ (qui intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut canis.) Bonifacius enim III. quia probavit Phocæ parricidium, & eum Imperatorem constituit: ideo Phocas ut esset gratus, ei principatum in Episcopos reddidit. Verum hæc largitio Phocæ non magnam vim habuit, ut alibi ostenditur.*

NUnc Coronidis loco hoc velim probè notari ac ab omnibus observari, nos, quando disputamus contra Iurisdictionem Pontificis Roma. non eo disputare fine, quasi Clericis sive Ecclesiasticis omnimodam Iurisdictionem derogatam & denegatam vellemus: sed primò ipsis denegamus Iurisdictionem Politicam, & quidem omnem, deinde ipsis denegamus Iurisdictionem quidem Ecclesiasticam sed non omnem, verum absolutam illam & omnibus legibus solutam, *quam Pontifex Roma. exercere vult & audet, etiam contra ipsa decreta divina & scripta Apostolica. Etenim si Pontifex Iurisdictionem suam dirigeret & informaret juxta normam & formam Scripturæ S. & Conciliorum legitimorum, certè litem ipsi nunquam hac de re moveremus, nec unquam calamum contra ipsum stringeremus: Quia v. sibi asscribit & ad se rapit jurisdictionem & potestatem in Ecclesiasticos, omnibus legibus divinis & legitimis Conciliis ac Decretis solutam, ac verbo divino contrariam, ideoq; hoc ipsi nequaquam concedere vel possumus, vel debemus: quippe si Iurisdictio Politica non est absoluta, sed adstricta ad leges vel civiles vel municipales, quantò minus erit Ecclesiastica talis. Quemadmodum verò Pontifex Rom. & ejusdem Parasiti peccant primò, Iurisdictionem Ecclesiasticam absolutam sibi arrogando, deinde Politicam surripiendo: Ita hodie peccant illi, qui ad gubernacula civitatum sedent, & Iurisdictionem Ecclesiasticam, nescio quo titulo ad se rapiunt, cælum terrâ miscentes. Tales sciant, se non minus sacrilegium committere rapiendo ad se Iurisdictionem Ecclesiasticam, quàm Pontificii furtum, Iurisdictionem Politicam surripiendo, faciunt: Quare quemadmodum Politici sibi suam Iurisdictionem nolunt surreptam, ita & aliis, Ecclesiasticis videlicet, suam jurisdictionem intactam relinquant, nec falcem in messem alienam mittant, quilibet enim debet in ea*

manere